



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIV. Bellum parandum maturè & in pace.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Quod in-
euirabile
est, ne con-
ris fugere.

tenda est. Cum in bello præter opinionem plera-
que accidunt, non vires modo considerandæ sunt,
sed Numinis voluntas. Nusquam minus quam in
bello euentus respondet: utrimque ferrum & cor-
pora; volitant inaspectabiles plumbi glandes, &
merito ridetur, si quis vitabundo similis appareat.
Bellum est eorum, qui sani agonizant, ideoque à Deo
petendum auxilium, & Deus præ oculis habendus:
Vera est enim fortitudo, Deo nixa.

§. 3. Bella precibus sustentata felicissima cesse-
runt; Moyses Exod. 17. pugnantibus Israelitis orat,
& vincuntur Amalecitarum. Fecit Iosue vt locutus erat
Moyse & pugnavit contra Amalec: Moyse autem & Aaron
& Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leua-
ret Moyse manus, vincebat Israel: sin autem paulum re-
misisset, superabat Amalec. Manus autem Moyse ram gra-
ues: sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo
sedet: Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtra-
que parte. Et factum est, vt manus ipsius non lassarentur,
vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue Amalec, & popu-
lum eius in ore gladii. Et Numerorum capite 21. At
Israel voto se domino obligans, ait, si tradideris populum
istum in manu mea, delebo vrbes eius. Exaudivitque Domi-
nus preces Israel, & tradidit Chananaum quem ille interfecit
subuersis vrribus eius: & vocauit nomen loci illius Horma, id
est, anathema.

Bello iusto
auxilium
petendum.

Iosue quoque Dominus apparuit, & eum confor-
tauit, cui etiam sol auscultauit, ne occideret donec
inimicos Domini persecutus esset. Dauid, Iosaphat,
Ezechiam, ceteros pios reges Deus adiuit, maxi-
me Maccabaos, qui contra copias veteranorum
plurimas victorias obtinuerunt. Sed obseruandum
est, eos tum facile exauditos, cum Deo consulto
bellum inchoarunt. Nam vt pro sua quisque
libidine bella conciliet, & ad arbitrium suum,
DEVM trahere conetur, plus impudentiæ habet,
quam pietatis. Si enim Consilium à Deo petere
dignatus non es, quomodo auxilium petis? Deus
bellorum exordijs, progressibus finibusque assistit
moderator. Inter tot prælia tam varijs locis gesta, vbi
pie fideliterque auxilia à Deo postulata sunt, vix vl-
lum inuenies, quo exaudita non sint preces milita-
res. Paucos belli duces Narseti pares Christiani ha-
buimus, multis prælijs hostes potentissimos vicit,
potentia Dei, non fiducia exercitus victor semper
existit. At ille cum in pauperes largus, in supplices
clemens esset, tanta pietate DEVM coluit, vt to-
tas noctes in basilicis versaretur; itaque quod ve-
rum erat, omnes etiam credebant, magis eum ora-
tionibus, quam armis victoriam obtinere. For-
tiores sunt sane aduersum hostes preces quam fer-
rum, & quamuis stultitiam dicat Romanus histo-
ricus, Sedendo, aut votis debellari posse credere, vicit ta-
men Totilam Narsetes, postquam insomnem no-
ctem precum continuatione transiegit, & tes-
tes propemodum lacrymarum lacunas reli-
quit.

Precum
mira vis.

Itaque Totilam deuicit, Theodobertum Fran-
cum excepit, & eius Duces Bucellinum & Aming-
hum oppressit, Suitaldum Brentorum Regem, vt
in pace proditorem ex alta trabe suspendit; tan-
taque gessit, quanta pauci vetustiorum; CHRISTI
enim præsentiam in omnibus expertus est pericu-
lis: meritoque eius expectauit protectionem, cu-
ius coluit Religionem. Ipse DEVS iustæ causæ
præesse solet; Noster es, an aduersariorum? quæsiuit
Iosue Dux Israelitarum, & cuius sit victoria, respon-
so Angelus demonstrat: Nequaquam, sed sum prin-
ceps exercitus Domini, & nunc venio. Hic princeps si
ad sit, non est apud eum vlla distantia. virum in
paucis auxiliatur, an in pluribus, vt pie & fideliter di-
cit Asa Rex Iudæ. DEVS vltro etiam Amaliæ mi-

natur: Quod si putas in robore exercitus bella consistere, su-
perari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiutare, &
in fugam euertere. De Cælo itaque dimicatur con-
tra hostes, stellæ manentes in ordine, & cursu suo
aduersus Sisaram pugnant, cum in iusta causâ, cum
humilitate à Deo quaeritur victoria, quæ sapienter fi-
de imperatorum, & sanctorum virorum, quam ro-
bore militum quaeritur. Sic Theodosius Maximum
& Eugenium deuicit, retorquente vento in hostes
spicula. Mirum & extra omnem belli morem, quod
Honorio imperante, centena aut ducentena millia
cum Rhadagaifo ceciderunt, nullo in Honorianis
castris ne vulnerato quidem.

Maschezil quinque millibus Gildonem fra-
trem, cæcis septuaginta vel octoginta millibus fudit,
vix enim congressum ferre sustinuit. Theodosio iu-
niore regnante centum millia Persarum panico pa-
uore in Euphrate periere. Burgundionum tria millia
baptizati, Deumque precati, dena millia Hunno-
rum strauerunt.

Christiani Antiochiæ obsessi centum millia Sa-
racenorum considerunt. Hispani quoque in vtra-
que India, pauci ingentia regna vicerunt. Exempla
obuia sunt.

Hoc moneo in præliis etiam Gentiles Deos
suos maxime comprecatos esse. Hinc Romani non
nisi auspicio, & sacris factis egrediebantur. Ma-
xime orationibus Constantinus Orientalis, & Ca-
rolus Germanici fundator imperij, orationibus
hostem vicere. Constantinus noctes in oratione
transigebat, Carolus per triduum supplicationes
indixit.

CAPVT XIV.

Bellum parandum mature & in pace.

§. 1. MATVRE omnia bello necessaria com-
paranda sunt, diu apparandum est bel-
lum, vt vincas celerius, longa enim belli præpa-
ratio celerem facit victoriam. Laudatus priscis
nobis laudandus, & imitandus est Philopeme-
nes Achæorum, qui cum pacis tempore iter face-
ret, in belli cogitatione fixus erat, quomodo col-
lis, quem transibant, superandus esset. Quantum
distabat ille Vitellio, qui caris luxum obtende-
bat: non parare arma, non alloquio, exercitioque militem
firmare, non in ore vulgi agere, sed vmbraculis hortorum
abditus, vt ignaua animalia, quibus si cibum suggeras ia-
cent, torpentq; præterita, instantia, futura pari obliuione de-
miserat.

Duces in
pace bellum
meditantur.

§. 2. Prima itaque ac laudatissima præpara-
tio ad bellum est, viros fortes & bellicosos, ma-
gno in precio & honore habere, ciuiles digni-
tates illis credere. Ideo enim Roma seminarium
optimorum ducum & bellatorum fuit, quia ciui-
les honores bellicæ virtuti donabantur. Iustum
enim censebat eos summo loco in patria potiri,
qui summa pericula pro ea subissent, illis bene
urbem credi regendam, quorum sanguine defen-
sa esset. Nobilitas etiam Europæ ex bellica virtu-
te originem ducit, hinc enim mediæ ætatis scri-
ptores eos milites appellant, & Germani Kna-
ben vom Schilde / inde & Scutum & Galeam om-
nes insignibus gentilitijs decoram gestant. Digni-
tates etiam præcipuas in aulis obtinent. Hos li-
honoratos iuuentus videat, eodem studio accende-
tur, maleq; in castris vitam agere, quam domi mol-
liter educari.

Honor sit
viri belli-
cosi.

§. 3. Ob hanc vnam causam Græci suam
Rem-

Rempubliam grauitet affligerunt, quia viros fortes & promptos Consilio, instar Platanorum habebant, quos pacis tempore negligebant, orta tempestate sub eorum vimbram trepidi refugiebant. Itaque facile vincebantur à Philippo Rege, is enim turmas optimorum, cautiſſimorum centurionum habuit. Pace igitur media belli cum Consilium in Republica floreat, audiaturque; nemo qui idoneus patriæ defensor, & ductor futurus est, suo honore careat, cum periculum abesse videtur.

Nicias in pace Athenis aiebat, se sibi multos anteferre, bello se esse primum. Oritur hac ex re aliud etiam, & quo occultius, eo periculosius malum; cum enim viri celsi animi, & merita victoriarum laude tumentes, in pace contemptum habeantur; aut alio migrant; aut bellum optant, & si possunt, persuadent, quemadmodum medici egenes febres & vulnera: aut ad latrocinia, rapinaeque vertuntur.

§. 4. Cum de viris prospectum est, arma etiam paranda sunt, si enim arma multa, magnaque armamentaria parerent, absque viris, perinde facit atque is, qui variarum artium instrumenta comparat, artifices vero nullos habet, qui uti sciant. Optima ratione olim magni Reges armamentaria condiderunt, duo enim inde consecuti sunt comoda, primum ut arma contra hostes parata haberent, alterum, ne passim vulgus armaretur, & contra se se, aut Rempubliam armis abuterentur, Romæ locis publicis arma custodiebantur; nam Cicero pro C. Rabirio contra Saturninum ex ædificijs armamentarijsque publicis arma Romano populo, C. Mario consule distribuentem data ait. Vetitum autem fuit priuatis habere arma, emere, vendere.

Romanorum in hoc genere industriam, impendiaque Vegetius libro 2. demonstrat. cap. 11. Habet præterea legio fabros lignarios, instructores, Carpentarios, Ferrarios, pictoresque, reliquosque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres lignæ, ceteraque quibus vel expugnantur aduersariorum ciuitates, vel defenduntur propria, præparatos, qui arma, qui vehicula ceteraque genera tormentorum, vel noua facerent, vel quassata repararent. Habebant etiam fabricas, scutarias, loricas, arcuarias, in quibus sagittæ, missilia, cassides, omniaque armorum genera formabantur, hæc enim erat cura præcipua, ut quicquid exercitui necessarium videretur, nunquam deesset in castris, usque eo, ut etiam cunicularios haberent, qui ad morem Bessorum ducto sub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfosis improvisi emergerent ad vrbes hostium capiendas, horum iudex erat proprius præfectus fabrorum.

Habebant fabricas non modo in legionibus, sed etiam in oppidis ac prouincijs, ita docet Vegetij doctissimus interpres Godescalcus Steuegius. Neque ad fabricanda arma solummodo in legionibus istæ fabricæ, sed & in oppidis fuere. Oppidatim certe Mithridatem illas instituisse testis Appianus de bello Mithridatico. Cæsar lib. 1. de bello ciuili. Frumetum ex finitimis regionibus atque omnibus castellis in vrbes conuexerant, armorum officinas in vrbe instituerant. Magnum fabricarum numerum sub principibus Romanum Imperium habuit, idque prouinciatis, in quibus ad usum Republicæ à Fabricensibus omne genus armorum fabricabatur. Recensebo ex notitia imperij, ubi fabricæ Orientis. Quinque scutaria & armorum Danaçi. Scutaria & armorum Antiochia, scutaria & armamenta Aedessæ, Hastaria Ironopolitana Cilicia. Pontice vero tres. Clibanaria Cæsareæ Cappadocia, scutaria & armorum Nicomedia. Asiana vna scutaria scilicet & armorum, Sardis Lydia. Thraciarum duæ scutaria &

armorum Hadrianopoli. Hæmimontis scutaria & armorum Marcianopoli. Illyrici quatuor, Thessalonicensis, Naissensis, Ratiarensis, Scutaria Horreamargensis. At paulo maiore numero fabricæ occidentis in eadem notitiâ ac primam in Illyrico. Syrmienſis Scutorum, Balistarum & armorum, Acimensis scutaria, Cornutenſis scutaria, Lauriacensis scutaria, Salonitana armorum. Mantuana lorica, Cremonensis scutaria, Tecinensis arcuaria, Lucensis Spatharia. In Gallia vero Argentoratensis armorum omnium, Maticonensis Sagittaria, Augustodunensis lorica, Suesionensis scutaria balistaria & Clibanaria, Remensis Spatharia, Triborum scutaria, Triborum Balistaria, Ambiacensis Spatharia, & scutaria. si propagandum Romanum fuerat imperium, vel si limites antiqui tuerentur, contra inuadentes habebat in diuersis castellis suos milites limitaneos prædarios, & diuersis quoque in sedibus sparsas Romanorum legiones, quarum crescente paulatim imperio sensim quoque creuisse videtur. Ceterum adeo numeroſo & sparsis militibus, unde arma omni generis suppeditata fuerint, iam discere à me potuisti, ex fabricis nempe istis prouinciatis institutis & quotiescunque nouis armis opus erat in expeditionibus, petebantur ex illis ipsis fabricis, & ad castra vel loca deputata angarijs transuehebantur, quod me docuit constitutio Imperatoris Leonis & Anthemij C. de fabricensibus. Nunc ab omnibus priuatis non alia arma aut fabricari, aut vendi poterant præter cultellos breues, quos nemo in usum belli adsumeret. Arcus vero, sagittæ, spathæ, semispathæ, loricae, contes, lanceæ, scuta, galeæ & cetera id generis arma bellica, non alibi quam publicis fabricis, & à fabricis publicis, id est, qui à noua publica sustentabantur, fieri permisit Imperator Iustinianus, cuius hæc de re Nouella 85. de armis. Frequens admodum de corpore fabricensium, & fabricensium munere, priuilegijs &c. mentio in posterioribus libris codicis, & inibi rubrica quoque de fabricensibus.

Id maxime summam industriam nihil vtilem omittentem significat, quod etiam vehicula publica ferendis ad castra armis destinata erant.

Nec hac contenti erant diligentia, custodes etiam armorum erant, lib. 49. tit. 16. de re militari. Si miles arma alienauit, armorum custodi plerumque ea culpa imputatur, si arma militi commisit non suo tempore. Hinc apparet in castris custodes fuisse armorum, si enim aliqui arma amitterent, si frangerentur, noua paranda erant, præterquam quod sagittarum, pilorumque vis ingens conuehenda fuit, quæ in castris custodiebantur. Nam lanceas, hastas, clypeos, scuta, parmas, loricas suas quisque asseruabat, nec pugnaturi à custode petebant. Nec dubium in vrbe armamentarium fuisse custodes. Merito sane, tempore belli & pacis requiruntur vigilie, leges, arma, l. qui excubias & l. officium de re militari tit. 7.

§. 5. Curam armamentarium fuisse pijs Regibus ex sacris literis constat. Cant. 4. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ adificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Hinc. 3. Regum 14. 28. est armamentarium scutarium. Quale vero fuerit, libro secundo, Paralipom. cap. 9. vers. 16. ostendit. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus legebantur singula scuta; posuitque ea Rex liqua ab in armamentario, quod erat constitum nemore. Vocabatur autem domus Libani, cuius suppellex aurea fuerat, & in eo palatio armamentarium. Ipse Roboam primo triennio cum pacem haberet vrbes muniuit, & armamentaria fecit, libro secundo Paralipom. capit. 11. 12. verba ita habent, vers. quinto. Habitu autem Roboam in Ierusalem, & edificauit ciuitates muratas in Iuda. Extruxitque Bethleem & Etam, & Theue, Bethsur quoque, & Socho & Odolam, nec non & Geth, & Mareſa,

Armamentaria occidentis.

Vbi tot aurea, nec rebus liqua ab-

& Ziph, sed & Aduram, & Lachis & Azeca: Saraa quoque & Aialon & Hebroa, quae erant in Iuda, & Benjamin ciuitates munitissimas. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, id est, olei & vini. Sed & in singulis vrribus fecit armamentaria scutorum & hastarum: formauitque eas summa diligentia, & imperauit super Iudam & Benjamin.

Noxae diligentiae causa erat, quia iam nouus hostis, & quidem potentior ortus erat, vrbesque quae tempore Salomonis in medietate regni erant, factae erant abscellu decem tribuum limitaneae, reliqua etiam armamentaria decem tribuum cesserant Ieroboamo. Apud Isaiam 22. 8. etiam mentio est armamentarij domus saltus.

CAPUT XV.

Arma quae curanda.

§. 1. FACTVRVS bellum princeps, praeparare haec praecipue debet: Foedera, comiteatus, arma, munitiones, pecuniam, militem. De singulis dicendum non est hoc capite, de foederibus, comiteatu, munitionibus, pecunia, dictum lib. 8. Pacis enim opera sunt magis, quam belli.

§. 2. Plerique qui de bello scripserunt, de armis & viris, seu terra, seu mari bellaturis accuratè omnia tractarunt. Hoc tamen modo, vt alij vetera, alij noua, pauci causas & Consilia veterum & nouorum ostenderint. Mihi, quae de nouis & veteribus intellexi, breuiter proponere est animus.

§. 3. Arma sunt, quaecunque necessitas suadet. Ferrum, oleum, lignum & alia. Arma sunt militis quasi membra, nam beluis dedit naturalia, quia prudentiam negauit, homini dat exera, quibus vtatur, addita ratione.

φύσις κέλευσε ταύροις
όπλας δ' έδωκεν άνθρωποις
λέγουσι χείρσι όδόντων
τοίς δ' όπράσσειν σιδηρον.

Natura cornua tauris, vngulas dedit equis, hiatum dentium Leoni, viris autem ferrum, quo vincit tauros, domat equos, leones venatur, & demum quod difficillimum est, vincit & aliud ferrum. Magna itaque copia armorum paranda est in pace, quia facile habentur. Cum necessitas vrget, etiam omnia accipienda, res campanarum conflari potest, vt finito bello reddatur.

§. 4. Arma defensiva, instrumenta omnia bellorum, quibus ab hoste defendimur, vel hostem offendimus. Ea sunt itaque duplicia, vel enim ipsi nos tutamur, vt est scutum, galea, ocreae; vel hostem laedimus, vt gladius, hasta, sclopus: Haec aliter quoque diuiduntur; vel enim corpori circumdantur, manibusque singulorum tractantur, vel machinis aguntur, & violentius agunt, tormenta maiora. Inter haec media pono equos, elephantos, camelos, canes, porcos, serpentes, quibus velut armis nonnulli interdum vsi, sunt vero arma animata, aut semiarma, & semi-milites.

§. 5. Arma defensiva, seu tegumenta priora sunt offensiuus, Ducis enim laudati est, suos primum in tuto collocare, deinde hosti nocere, sic enim mutuis plagis conciduntur, nullius est victoria. Fortior itaque est, qui munitior: Qui sibi bene prouidit, vt incus sonitus nauarchus, tempestates spernit. Miles bene tectus fidenter inuadit hostem & arte intrepide vritur: ars autem absorbet omnes rerum difficultates: vt militari prouerbio iactant.

§. 6. Veterum tegmen capitis fuit galea. Ea fuit velutim ex pelle lupina, aliave. Polybius: προσεπικροσμεται δε ή λιτώ περικεφαλαίω, πότε λυκίαν, ή τι των τοιούτων επιδιδείναι, σκέπης άμα, ή σμηλεύ χείρην, ήνα τοίς κ' μέγ' ήγχεύοι περιενδύνοντες, έξρομένους, ή μ'η διάδηλοι γινώσκειν. Adornatur, (ita vertit Liplius) praeterea & simplici tegmine capitis, atque est, cum lupinam, aut tale aliquid imponit, tutela simul, & signi causa, vt ductoribus ordinum, cum strenue, vel aliter pugnauerint, possint innotescere.

De galeae materia optime Liplius. Non ex aere, aut ferro, sed lana, tomento, corio; cassis de metallo fuit. Galea à γάλην fele aut mustella dicta, à feris sumebant, inde γάλην, mustellina, canina, taurina, caprina. apud Homerum & Virgilium est etiam Leonina, Aeneid. 7. Tegmen torquens immane Leonis, Liplius in Traiani columna adnotat hoc omnes esse habitu, cum pelle leonis, quae caput, humeros, tergumque tergat. Lupina est apud Propertium in eleganti carmine,

Et galea his futa compta lupina iubá.

Apud Statium Vrsina est;

Ille Lycæonia victu caput asperat Vrsa.

Alijs placuit Vulpina. Thraces, Macedonesque similes habuere. Hoc vero est, de quo haeret auditor Liplij, cum tutelae & signi causa gestarint, an nudo capiti, an alteri galeae imposuerint? Existimat Liplius nudo capiti velites imposuisse, eos enim non tam caute & custodire armatos: Ego magis etiam dubito: quamuis Leonina & Vrsina sint tutelae, non tamen video quomodo mustellinae, vel caprinae, vel etiam vulpinae pelliculae sagittas aut gladios morentur: multo magis resistunt ex tomento galeri nostrates, praecipue crassissimi illi, quos Brunuicenses appellare consueverunt.

Itaque illud quod λιτών vocat Polybius, vilem, nec operose factam galeam significare, non autem simplicem fuisse pelliculam, sed lino lanave suffultam, ad frangendos actus, forte & duplicatae pelles fuerunt. Agrestium arma describit Statius.

Tela rudescunt trunci, galea vacua ora Leonum.

Ipse Liplius galeas è corio, vel simili materia ait esse, ferro aliquo per lineas, aut circulos inducto, corium igitur aut duplicatum, aut alia materia suffultum fuit. Imo magis probo pelles fuisse impositas pileis, vel ex duplicatis, aut saepius dentatis pellibus fuisse. Nam Vegetius libro primo, capite vigesimo. Pileos vocat. Vsq; ad praesentem prope aetatem consuetudo permansit, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus vterentur: quod propterea seruabatur, ne grauis galea videretur in praelio homini, qui gestabat aliquid semper in capite. Graues ergo pilei aliqua proportionem ad cassidem.

Porro horribiles formas galeis impositas discimus ex Virgilio apud quem Turnus libr. 7. describitur

Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimeram
Sustinet Aethnaos efflantem faucibus ignes.

Cimbri quoque eo habitu fuere: Plutarch. in Mario. Galeas equitum Cimbrorum & plumis & horrentium animalium formis insignes fuisse ait Diodorus Siculus libro secundo. Reges Aegyptiorum leonum, taurorum, draconum capita suo capite velut principatus insignia gestasse, quod Christianis temporibus sensim desijt, & contra hostem notum

Arma
tutè pa-
randa.

Arma de-
fensiuu of-
fensiuu.

Galea capi-
tu tegmen.

Non sola
pelle caput
ornati erant.

Arma
lim
fug
mus,
nullius
merci.

Magis
parma.